

Oratio in schola “Hohe Promenade” quae dicitur habita die tertio mensis Novembri

Me, Udalricum Turicensem, o amicae amique, semper maximo gaudio afficit facere aliqua verba, ut laudem vos omnes, qui textum sitis interpretati, qui etiam his diebus magni momenti est.

Nam attingit quaestiones, quas hac in urbe disputamus magno studio.

Quarum quaestionum est prima reformatio fidei Christianae, qua, ut exemplum illustre e numero reformatorum afferam, Udalricus Zwinglius non solum huic urbi sed etiam omnibus pagis Helveticis multa et beneficia et – me miseret dicere – mala parabat, quorum unum fuit dissensio inter Helvetios ipsos.

Sed continet textus quaestionem secundam, de qua disputamus acerrime his temporibus, cum etiam nunc Tigurum in urbem conveniunt multi fugitivi vim et odium perpassi.

Et illi, ut verbis textus utar, quem traduxistis, “lingua peregrina, vivendi et vestiendi modo, populi moribus a patriis plurimum differentibus” terrebantur, cum incolae sunt facti huius urbis. Hoc vere mirandum non erat, sed brevi tempore post exsules Locarnenses cives Turicenses sunt facti, qui urbi multa commoda compararent.

Speremus omnes migrationem, quam videmus nostro tempore, ad eandem finem bonam conduci posse!

Sed dicamus etiam de vobis qui adestis.

Praebuistis omnes documentum eximiae virtutis et studii magni. Quod laudo, praedico, in caelum extollo.

Maxime gratulor eis, qui sint adepti coronam auream, argenteam, aenam, quod perfecerunt interpretationes optimas.

Sed valde gratulor

cum omnibus, qui venistis hodie, ut ostenderetis facultatem vestram textus Latini interpretandi tum magistris,

qui vos adiuverunt

quique operam dederunt, ne linguae Latinae laus conticesceret.